volo animo, quem tu Ceporine in pectore gessisti, media alia ad hunc finem assequendum non sufficerent. Probari nobis non potest, quòd unquam innoxium quemquam occiderimus; vos Calvinistæ interfeciſtis Dominam vestram Reginam Scotiæ Mariam Stuartam. Nos fideles sumus Imperatori, Regi & Duci nostro, vos Puritani ut vocari vultis infideles fuistis Sereniſſimo Regi vestro Carolo primo Angliæ Regi, quem Bliverius Cromvvel & Marscallus Fairfax in publico theatro inaudito exemplo decollari jusserunt, sicut & proba Sereniſſima Maria Stuarta ex invidia ab Eliſabethe concepta capite quamvis valdè infeliciter truncata fuit, priſtinam pulchritudinem, & honestam formam usque in extremum retinens, & potiùs capitis amiſſionem sustinere volens, quàm impiis Eliſabethæ consiliis favere. Idem contigit captivis Civibus, quoniam dum viderent causam esse extremæ necessitatis & periculum esse in morâ, tam diu laborârunt, ut hæc res prætextatum ab iisdem finem assequeretur, quod vobis benignis Lectoribus ex sequentibus facilè patebit.

CAPUT VII.

Quâ viâ Proditores isti Epistolam malevolo animo conceptam tradant Lamberto Charles, & Regimini Clivensi.

IGitur hujus Tractatûs socii mox procedunt ad Gubernatorem Castri Gochensis, & fictam epistolam eidem in manus tradunt. Hæc non sufficiebant iisdem confratrum suorum venditoribus, Clivos abeunt, & Lambertum Charles in suas partes trahunt, quibus adjunguntur duo Consiliarii Regiminis Clivensis sub

ſpecie, ut res geſta majorem formam, vel apparentiam veritatis caperet. His itáque peractis Lambertus Charles Embricam proficiſcitur Gubernatorem inviſurus. Imprimis rogat Antonium Weenhoven Gubernatorem Embricæ, ut principales Catholicæ Fidei defenſores in cuſtodiam rapiat his additis verbis: Hiſpanum Exercitum jam modò in viâ eſſe, & Veſaliam appropinquare. Reſpondit Gubernator Veſaliæ impoſſibile eſſe in tam grandi nive, & hyemali tempore copias adduci poſſe additis his verbis: *Hy vvou eerſt Befehl van hooger Overricheyt vervvachten.* His non obſtantibus Lambertus Charles portas civitatis curat concludi, ſicut & Reſæ contigit, etiam prædivites Catholicos cives milite præſidiario onerat, & quidem; ut nullus effugii locus ſupereſſet. Hi impii ſuſurrones tale odium conceperant, ut nihil cogitarent, niſi concives ſuos perdere, ſanguinem innocentem fundere, & ex poſt villas, & agros, & bona diripere.

CAPUT VIII.

Quâ arte Cives captivati fuerint, & quo loco poſiti.

QUâ injuriâ hæc captivitas contigerit, vobis breviter enarrabo. Luitenantius quidam imprimis tales motus, & violentias excitat domi D. Theodori ab Heucklum, ut vix mortis periculum evaſerit; uxor ejusdem Petronella Exken brachium mariti amplectitur, & defendit factâ firmâ promiſſione, ut quem in vivis virum habuerat in captivitate quoque deſerere nollet. Advertendum quòd de die inter cives quoddam ſpargamentum factum fuerit, de

quo-